



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

58. An Episcopus possit ordinare aliquem, qui in sua Diœcesi haberet
pensionem? Ex p. 8. tr. 2. res. 26. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

Martinus de San Ioseph in mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 4. de Ordine, num. 10. ubi sic ait: Quando el Obispo da vn Beneficio a Clerigo, de otro Obispado, solamente con fin de ordinare, puede hazerlo assi: porque esta no es fraude, pues ya tiene Beneficio en su Obispado, y no puede mas el Derecho. Ita Vgolinus de offic. Episcop. cap. 26. §. 3. & verba generaliter prolata referuntur ad omnia, leg. Quidam, ff. de Trinitate, vino, Gloss. fin. Cod. de Hæredib. delatione. Ita ille. Vnde ad argumenta contraria patet responsio, fraudem legi non facere, qui vitur iure suo, quod lege ipsa nititur. Ad secundum, differre à casu triennalis familiaris, quod in casu nostro collatio Beneficij debet necessariò præcedere Ordinationem; in illo verò potest sequi, vt satis colligitur ex verbis Concilij, dicto cap. 9. ibi, beneficium statim re ipsa illi conferat: quasi dicat, statim post Ordinationem.

3. Nota contra Molfesum, Sotum, Vgolinum, Riccium, Quarantam, & alios, supradictam sententiam procedere etiam si Beneficium sit tenue, v. g. trium, vel quatuor Aureorum; vt optimè notat Garcia de Benef. part. 2. cap. 4. n. 8. Campanili in diuers. Iuris Canonici, rub. 8. cap. 5. n. 19. Henricus in Summ. lib. 10. cap. 22. §. 1. & liti. C. Barbosa de Officio Episcopi, alleg. 4. n. 44. Ratio est; quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sed cap. cum nullus, de tempor. ordin. in 6. non explicat valorem, & qualitatem Beneficij, sed simpliciter dicit, quem posse ordinari ratione Beneficij ab Episcopo, in cuius Diocesi constituit Beneficium. Quare, si tenui Beneficio adiungeretur Patrimonium, ita vt constatum ex vtroque sufficeret ad sustentationem; sicut præterit Tridentinum sess. 21. de Reform. cap. 2. tunc posset ab Episcopo Beneficij ordinari. Quam moderationem admittunt etiam Vgolinus, & Stephanus Quaranta; & hoc modo conciliantur opinionēs. Vide Trull. de Sacram. lib. 6. cap. vnic. dub. 7. num. 16.

RESOL. LVI.

An qui habet plura beneficia in diuersis Diocesis, possit ab omnibus illis Episcopis ordinari? Et an hoc etiam præter Episcopum originis, vel domicilij, à quibus etiam poterit ordinari? Ex part. 8. tr. 2. Ref. 23.

§. 1. Respondeo affirmatiuè cum Acugna in Decretum Gratiani, part. 1. dist. 71. num. 7. & Garcia de Beneficiis, tom. 1. part. 2. cap. 4. num. 2. ubi sic ait. Consequitur etiam quis ex beneficio, quod possit ad Ordines promoueri ab Episcopo in cuius Diocesi est beneficium, seu ab alio, de eius licentia, licet aliis ei nullo modo subditus sit, cap. cum nullus, de tempor. ordination. in 6. Vnde si in diuersis Diocesis habet beneficia, poterit à pluribus Episcopis, ratione beneficij ordinari, præter Episcopum originis, vel domicilij, à quo etiam poterit ordinari. Ita ille; cui etiam adde Præpositum in 3. part. de Sacram. Ordin. quest. unica, dub. 4. num. 137.

RESOL. LVII.

An sola actualis possessio beneficij, ita vt non solus titulus, & collatio sufficiat, vt quis ab Episcopo possit ordinari? Ex part. 8. n. 2. Ref. 24.

§. 1. Respondet Garcia de beneficiis, tom. 1. part. 2. cap. 4. num. 17. sufficere actualem possessio-

nem, quamuis hæc sit ex iniusto titulo, sed colorato, nec sufficere titulum, & collationem; hoc secundum non placet, quia qui titulum, & collationem habet, verè habet beneficium, nam textus non dicit posse quemquam ordinari ab Episcopo beneficij: sed ab Episcopo domicilij, nec quod addit Garcia, possessionem scilicet actualem dare iurisdictionem Episcopo in beneficiarium; non verò titulum, nihil impedit: quia potestas ordinandi non præsupponit subiectionem potestati dominatiuæ, vt cernitur in eo, qui ab Episcopo originis ordinatur, & tamen alibi domicilium habet, à quo provenit subiectio dominatiuæ potestati. Et hæc omnia docet etiam Acugna in Decretum Gratiani, part. 1. dist. 71. n. 7. Vide etiam Squillante de privileg. Cleric. cap. 4. n. 248.

2. Nec deferas etiam recognoscere Riccium part. 2. decis. 188. n. 3. ubi latè probat, solum collationem tituli beneficij absque eius possessionis ingressu sufficere, vt quis possit ab Episcopo loci, ubi situm est beneficium, Ordines recipere.

RESOL. LVIII.

An Episcopus possit ordinare aliquem, qui in sua Diocesi habet pensionem? Ex part. 8. tract. 2. Ref. 26.

§. 2. Posset quis affirmatiuè respondere, quia pensio in fauorabilibus includitur sub nomine beneficij. Sed communiter in nostro casu negant Doctores; & ita tenet Acugna in Decretum Gratiani; part. 1. dist. 71. num. 9. Marchinus de Sacram. Ordin. tract. 1. part. 5. cap. 8. num. 10. & alij. Et ratio est, quia pensio proprie non est beneficium, vt tradit Selua de beneficiis, 1. part. quest. 3. num. 11. Cacialupus de pensionibus, quest. 12. & vltima, Gigas eodem titulo, quest. 20. Duaren. de beneficiis, lib. 2. cap. 4. & lib. 6. cap. 4. Palcotus de nobis, & sibi, cap. 8. num. 4. Rodoanus de simonia 2. part. cap. 14. num. 10. Couatruuias pract. cap. 36. num. 10. Nauarr. consil. 11. num. 8. de consil. & consil. 8. num. 9. de iure patronat. & consil. 66. num. 30. de simonia, Hojeda de incompatibilitate beneficiorum in præfatione, num. 30. & 2. part. quest. 7. Azeuedo l. 1. tit. 1. recop. num. 5. Quintanad. Ecclesiast. benefic. lib. 1. cap. 3. num. 13. Flaminus de resignat. lib. 1. quest. 10. num. 69. & lib. 2. questio. 15. numer. 11. & lib. 11. quest. 4. numero 31. Suarez de censur. disputat. 15. sect. 1. num. 7. Gonzales ad regulam, mens. gloss. §. statim à principio.

RESOL. LIX.

An Episcopus possit triennem familiarem non sibi subditum ad Ordines promouere? Ex part. 8. tract. 2. Ref. 27.

§. 1. Satis supra dictum est, quomodo Episcopus possit ratione originis, domicilij, & beneficij Ordines conferre: superest modò ad materiam complementum aliqua dubia proponere, circa auctoritatem Episcoporum ordinandi suos triennales familiares; de qua loquens Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 9. de reformat. ubi præcipitur, ne Episcopus familiarem suum in subditum ordinet, nisi per triennium fuerit cum ipso commoratum, & beneficium illi sine fraude statim conferat.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 3. 26. §. Verum ad medium, vers. Tertius.